

autem, eo ipso quo quis à Christo constitutus fuerit Centrum cui omnis Ecclesia quovis momento adhæreat, Caput itidem ille necessariò fiet quod omnis etiam sequatur: ipsa enim non illi incommutabiliter adhærere posset quem iubentem sequi renueret.

Ex his planè intelligere est quàm sibi cohæreat simul ac necessitatibus humanis conveniat dogma catholicum (1); — dum, è contrà, Episcopalismus, vel à priori, apparet improbabilis. — Idem verò

II —, à posteriori, quomodò contra se habet tum *Scripturæ*, tum *Traditionis* testimonia et exempla, atque

---

(1) Illas etiam de divinà Papatùs institutione rationes theologicas ita Leibnitzius suo modo exponit apud suum *Systema theologicum*, quo in opere, ut omnes norunt, vir illustris, licèt Protestantium partibus addictus, catholicè in omnibus penè sentire videtur: «.... Cum Deus Opt. Max. Ecclesiam » constituerit in terris... quam audiri jubet ab omnibus qui ethnicis aut » publicanis æquiparari nolunt, consequens est ut modum constituerit quo » voluntas Ecclesiæ, interpres voluntatis divinæ, cognosci possit; et hunc » jam tum Apostoli ostendère, qui corpus Ecclesiæ repræsentabant. Hi enim, » Concilio Hierosolymis coacto, sententiam suam explicantes inquirunt: » Visum est Spiritui Sancto et nobis; neque hoc privilegium assistentis » Ecclesiæ Spiritùs Sancti Apostolorum morte cessavit, sed usque ad con- » summationem sæculi durare debet, atque in toto corpore Ecclesiæ, per » Episcopos tanquam Apostolorum successores, fuit propagatum. Quoniam » autem non semper nec frequenter haberi potest Concilium, nam Epis- » copi populos quibus præsunt, crebrò deserere non possunt; et tamen » semper persona Ecclesiæ vivere ac subsistere debet, ut voluntas ejus » possit cognosci, consequens fuit ipso divino jure, memorabilibus ad- » modum Christi ad Petrum verbis... insinuatam, atque in Ecclesià credi- » ditum est, ut unus inter Apostolos hujusque successor unus inter » Episcopos majore potestate exornaretur, ut per eum tanquam visibile » centrum unitatis, colligari corpus Ecclesiæ, provideri communi neces- » sitati, convocari, si opus, Concilium, et convocatum dirigi, et, tempore » interconciliari, dari opera posset, ne quid res fidelium publica detri- » menti caperet... etc... » *Systema theologicum*, versùs finem, — aut in versione gallicà ejusdem operis, ap. Migne: *Dém. év.*, t. IV, p. 1093. — Cfr et Cardin. Aleandro in conventu Wormatiensi, ap. Audin; *Hist. de Luther*, ch. XIX.

ipsum consensum majoris partis, imò et interdum universitatis tam Episcoporum quàm Fidelium, mox in *Thesi ex professo* demonstrabitur.

His igitur præmissis observationibus circa systemata nobis adversantia (1), jam instituendus est

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE PAPA.

36 — PROPOSITIO: *Existit, è jure divino, in Ecclesià Christi Pastor quidam supremus qui essentielle est hujus Ecclesiæ et Centrum et Caput.* — \*37 — Prob. è Scripturà sacrà; — \*38 — è Traditione per testimoniorum et factorum *discussionem*, per *præscriptionem*, imò, certis quibusdam epochis, per totius Christianitatis *consensum*. — 39 — COROLLARIUM: I<sup>o</sup> *Infallibilitas papalis* — 40 — *indirectè* demonstratur, et — 41 — Gallicanorum effugium ad eam declinandam, prævertitur; — \*42 — *directè* etiam confirmatur è Scripturà et Traditione. — \*43 — Quandonàm Papa doctrinam Christi infallibiliter doceat? — \*\*44 — Observatio circa facta contra infallibilitatem papalem allegata. — 45 — II<sup>o</sup> *Plena potestas papalis* circa disciplinam. — 46 — Præcipua ejus consecraria. — 47 — Observatio circa *tendentias*, ut aiunt, *ultramontanans vel gallicanas*.

36. — Hic primùm, in *Propositione*, demonstrandum habemus quòd Christus pro *Fundamento* Ecclesiæ unum instituit supremum Pastorem cui omnes, ut membra sint Ecclesiæ, debent societate jungi tanquam *Centro* Ecclesiæ essentiali, et in his quæ sunt ad salutem, obedire tan-

---

(1) D. Guizot (*Hist. de la civilisation en Europe*, n<sup>o</sup> leç., et *Hist. de la civil. en France*, t. I, n<sup>o</sup> leç.) varia illa systemata aut cætera ejusdem modi cum sectis inde enatis asserit jam ab Ecclesiæ incunabulis aliquatenus reperiri, eo quòd advertit non Episcopos modò sed et Multitudinem et Principes, etc., aliquam exercuisse in Ecclesià actionem, sicut et nos suprà advertimus. — Verùm (quod non satis pensat vir inclutus, nec tamen negat) varia illa elementa *concorditer* et *ordinatè* agebant, nec proinde diversa illic aderant systemata, nec plures sectæ; sed una tantummodò ecclesia pluribus constans viribus in uno systemate coordinatis. — Cæterùm in hanc D. Guizot theoriam, V. Gorini: *Défense de l'Eglise*, t. III; vel D. Vincent: *Tr. de Ecclesià* in fine,



quam ejusdem Ecclesiae *Capiti* : in hoc enim consistit *primatus Papæ*, prout semper apud omnes Catholicos de fide, ut aiunt, catholicâ habitus est. — Dein autem, in *Corollario*, illius ejusdem supremi Pastoris probabimus tum *infallibilitatem* in doctrinâ, tum *plenam potestatem* in disciplinâ. Quæ quidem veritates, etsi in præcedentibus implexæ ut illic ostendemus, quibusdam tamen Catholicis erant non adeò perspectæ, imò et à quibusdam negatæ, aliquot abhinc sæculis, tolerante hactenus Ecclesiâ; sed tandem à S. S. Concilio Vaticano de fide etiam catholicâ declaratæ sunt. — Sit igitur statim

**Propositio** : *Existit, è jure divino, in Ecclesiâ Christi Pastor quidam supremus qui essentielle est hujus Ecclesiae et Centrum et Caput.*

Hæc propositio, — cujus ratio theologica jam intelligi potest ex dictis contra systemata adversantia ac speciatim contra Episcopatum (n. 35), — probari potest tum è *Scripturâ*, tum è *Traditione*.

## I

**37. — Probatur è Scripturâ Sacrà.** — Ex eâ enim obvio et recto sensu acceptâ constat uni ex Apostolis, Petro scilicet, aliquam à Christo tribui *primatiam*, — primatiam quâ constituitur ille Ecclesiae *Centrum et Caput*, — primatiam *in perpetuum* duraturam; — quæ tria nunc probanda sunt per partes. Et quidem

1<sup>o</sup>. — *Petro aliqua à Christo tribuitur primatia.* — Ipsi nempe, à primâ suâ vocatione, præsignificatur aliquid magnum et singulare; nam ipsi, et quidem soli, nomen imponitur novum et maximè significativum (*Cephas; Petra*) : « *Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas* : » *quod interpretatur Petrus.* » (Joan., I, 42; Cfr. Marc., III, 16; Luc., VI, 14). Qui certè mos apud antiquos Judæos solemnissimus erat et ab ipso Deo nonnunquam adhibi-

tus (1). — Exhinc autem ille, — licet neque præverit jure ætatis (2), aut prioritatem vocationis (Joan., I, 41), neque discipulus fuerit quem præ cæteris dilexerit Jesus (Joan., XIII, 23, 25; XXI, 20, etc.), — singulari supra cæteros præminentia distinguitur.

Sic — 1 — primus ille ubique nominatur, et quidem cum affectione quâdam distinctionis (*Primus Simon qui dicitur Petrus...* Matth., x, 2) : imò — 2 — sæpe solus nominatim designatur, cæteri autem collectim et quasi ipsius familia (*Petrus et qui cum illo erant...* Luc., viii, 45; ix, 32; Marc., i, 36; *Dicite discipulis ejus et Petro...* Marc., xvi, 7; *Stans Petrus cum undecim...* Act., ii, 14; ibid. 37; *Sicut cæteri Apostoli et fratres Domini et Cephas...* I Cor., ix, 5); insuper — 3 — quibusdam gaudet prærogativis familiaritatis cum Christo intimioris, quandoque etiam singularis (3), ac speciatim — 4 — primus ex Apostolis apparitione Christi redivivi donatur (Luc., xxiv, 34; I Cor., xv, 5). — Atque hanc primatiam similiter post Ascensionem Christi Petrus conservat et cæteri nequamquam contradicentibus, exercet tum — 1 — in edicendo necessitatem alium Apostolum supplendi in locum Judæ (Act., i, 15, etc.) (4); tum — 2 — in prædicando Evangelium ad Judæos (Act., ii, 14) et miraculis confirmando (ii, 6; v, 15); tum — 3 — in judicando et plectendo Ananiam et Saphiram (v, 3, 7); tum — 4 — in universas perambulando ecclesias (ix, 32) (5); tum — 5 — in admittendo Gentiles in Ecclesiam (x, 5 et s.); tum — 6 — in aperiendo Concilium Apostolorum et sententiam proponendo, cui omnes assentiunt (xv, 7 et s.); etc.

(1) V. Wiseman, *Confér. VIII<sup>e</sup> ap. Migne*, p. 914. — Cfr. S. Joan. Chrysostom. *Hom. XVIII in Joan.* — V. ap. Régner, p. 848.

(2) V. S. Epiph. *Hæres. LI*, n. 17, et cfr. Régner, p. 861.

(3) V. Bellarmin. : *III<sup>a</sup> Controv. gener. : De S. Pontif.*, l. I, c. xix et seq.

(4) Unde S. Chrysostomus cit. ap. Bellarminum, loc. indic. c. xxii : « Quam agnoscit Petrus commissum sibi gregem ! Quam in hoc choro princeps est ! »

(5) Hic idem S. Chrysost. ibid. : « Quemadmodum dux in exercitu obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ suo adventu egeat. Vide illum circumcursare, et primum inveniri. »



Unde summam Bossuet (*Disc. sur l'Unité de l'Eglise* (1): « Ainsi saint Pierre paraît le premier en toutes » manières : le premier à confesser la foi ; le premier dans » l'obligation d'exercer l'amour ; le premier de tous les » Apôtres, qui vit Jésus-Christ ressuscité des morts, » comme il devait être le premier témoin devant tout le » peuple ; le premier qui confirma la foi par un miracle ; » le premier, quand il fallut remplir le nombre des » Apôtres ; le premier à convertir les Juifs ; le premier à » recevoir les Gentils ; le premier partout. »

II°. — *Hujus primatiæ natura declaratur*, ita scilicet ut inde Petrus verè constituatur Ecclesiae *Fundamentum*, proindeque *Centrum* cui omnes inhæreant, et, per consequentiam necessariam, *Caput* cui omnes pareant : unde patet hic agi de primatiâ non *honoris* tantum, sed « verè » propriæque *jurisdictionis* » sicuti definivit S. S. Concilium Vaticanum (Constit. *de Eccl. Christi*, cap. et can. 1, jam supra cit., p. 99).

Christus nempe Ecclesiae fundator — I — Petrum posuit expressissimè tanquam hujus Ecclesiae visibile fundamentum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. (Matth., XVI, 18; V. supra, p. 51) (2).

(1) Cf. hunc virum et huncce illius sermonem potissimè in totâ hac thesi citabimus, 1° quia non facilè inveniretur quid aliud adeò nervosum atque concinnum ; 2° quia gaudemus illum nunc habere protagonistam in principiis, quem antagonistam habituri sumus in consequentiis, quas ille nempe sui temporis motibus abreptus non satis perspexit ; et eò efficacius ipsum postea oppugnare speramus quò magis ipsius armis usi erimus.

(2) **Objicitur** quidem SS. Patres nonnunquam hæc verba : *Super hanc petram....*, non *de personâ Petri* interpretari, verum sive *de fide ac confessione Petri* in divinitatem Christi, sive *de Christo ipso*, sive etiam *de toto Apostolorum collegio*. — Ita notatim famosus Launoy (*Epist. ad Gulielm. Voellum*; Opp. T. V., p. II, p. 99 et ss.), cujus malesanam eruditionem tacito illius nomine, Doctores Germanici, è scholâ pseudonymi *Jani*, nuper Concilii Vaticani tempore, adamussim, quasi de suo, proferre solebant. — **Resp.** autem : 1° SS. Patres generatim et quidem ii etiam

Unde statim inferre est Petrum esse hujus Ecclesiae et *Centrum* et *Caput*, eo sensu quem supra exposuimus.

Est 1° *Centrum* : — Vel enim metaphora à Christo adhibita nihil significat, vel necesse est inde omnia Ecclesiae

qui objiciuntur (V. cit. ap. D. Patric. Murray : *Tr. de Eccl.*, Disp. 18, n. 110, vol. III, p. 424), verba supradicta passim intelligunt *de personâ Petri* juxta sensum *litteralem*; qui certè, ut ostendit Perrone : *De locis theol.* P. I°, n. 472, aliunde per se satis evidens est (nisi quis forte hunc excogitet modum verè mirificum litteram supplendi, quem invenio apud quosdam Protestantas : « Je te dis que tu es Pierre, et sur cette pierre, » ajoute Jésus, *en posant la main sur sa poitrine*, je bâtirai mon Eglise, » etc. » l...) — Unus citatur S. Augustinus qui utrùm *de Petro*, sicut ipse alibi interpretatus fuerat (*Epist. LIII*, n. 2; *In psalm. LXIX*, n. 4), an reverà *de Christo*, hæc litteraliter intelligenda sint, dubitasse videtur (L. I, *Retractat.* c. XXI, n. 1), ex hoc nempe præoccupatus quòd ; « non dictum est : *Tu es Petra*, sed : *Tu es Petrus....* » ; ignorabat autem in linguâ hebraicâ seu potius syro-chaldaicâ, quâ utebatur Christus, unum idemque esse vocabulum, **פֶּטְרָא** sicuti gallicè apud nos : « *Tu es Pierre* » et sur cette *Pierre....* » et mutationem generis venire tantum ab interpretibus ; nec proinde esse vel levissimam ambigendi umbram (Cfr D. Lingard adversus D. Burgess, ap. Migne : *Dém. évang.*, t. XIV, p. 382).

2° Multi tamen Patres, et quidem à IV° tantum sæc. (V. Perrone : *De locis theologis*, p. I, n. 470), textum illum, per quamdam sensus evolutionem ad scopos suos peculiare accommodatam, nunc interpretantur *de fide et confessione Petri circa divinitatem Christi*, ut hanc divinitatem ostendant contra Arianos ; quia nempe, ut observat S. Ambrosius (*De incarn.*, c. v., n. 34), non *super carnem et ossa Petri* fundatur Ecclesia, sed super Petrum quatenus confitentem Christi divinitatem ; — nunc præsertim interpretari videntur *de Christo ipso*, ut potestatem Pastorum Ecclesiae, speciatim in ministrandis sacramentis, non ab ipsorum personâ sed à Christo repetant contra Donatistas, (in quo totus est notatim S. Augustinus) ; quia reverà Petrus non fit Ecclesiae *petra* nisi quatenus ipsum sustentat Christus, qui *petra est et petram facit* (ut apprimè notat antiquus auctor *Homil. de Pœnit.*, n. 4, inter opp. S. Basilii, edit. Migne, t. III, p. 1483 ; cit. etiam ap. Lingard, loco indic. p. 379) ; — nunc demum videntur etiam interpretari *de toto collegio apostolico*, ut ejus unitatem essentialem asserant contra schismaticos ; quia reverà Petrus super quem fundatur Ecclesia, collegium hoc sibi indissolubiliter unitum habet. — Nulla verò, ut patet, ex iis sensus extensionibus sensum principalem et obvium destruit (V. Perrone, n. 469-476. — Cfr et Ballerini, ap. Migne *Theol.* T. III, p. 990).



membra aliquam habere cum Petro societatem : — Et enim, ubi petra una posita est pro fundamento totius aedificii, nullus certè lapis in aedificio esse potest et ejus soliditatem participare, nisi cum hac petrâ aliquam cohaesionem habeat. Atqui Petrus unus positus est pro fundamento totius societatis seu *Ecclesiae Christi*. Ergo nullus homo de hac Ecclesiâ esse poterit et hujus privilegia participare nisi aliquam cum Petro habeat societatem seu, ut inter Christianos dici solet, *communione*; ideòque Petrus meritò à totâ Traditione dicitur totius ecclesiasticæ communionis Centrum.

Quod ut plenius et clariùs intelligatur, duo sunt observanda :

1 — circa *singularitatem* hujus cum Petro unionis : — Omnes quidem Apostoli sunt et dicuntur etiam Ecclesiae *fundamentum* (Eph., II. 20; cfr et Apoc., XXI, 14); — ideoque cum eis etiam nos societatem habere debemus ut de societate Christi simus (I Joann., I, 3). Verùm Apostoli Ecclesiae fundamentum sunt et dicuntur *collectivè*, Petrus verò *singulariter*. Ergo societatem cum Apostolis collectivè sumptis habere debemus, non autem cum singulis, vi hujus considerationis; cum Petro autem singulariter sumptò habere tenemur. Ideoque nullus ex Apostolis in individuo, nisi Petrus, est et dicitur *essentiale Centrum ecclesiasticæ communionis*.

2 — circa *naturam* hujus cum Petro unionis : — Illa nempe unio quam habere tenemur cum Apostolis quidem collectivè, cum Petro autem singulariter, est unio è quà resultet illa societas quæ dicitur Ecclesia Christi. Atqui Ecclesia Christi est societas tum quoad doctrinam profitendam, tum quoad disciplinam observandam. Ergo unio cum Petro singulariter, non secùs ac unio cum Apostolis collectivè, est unio in doctrinâ, unio in disciplinâ. Ideoque Petrus est Centrum communionis ecclesiasticæ tum in *fide* tum in *regimine*. Quod postea è Traditione

confirmabitur et in Corollario præsertim ampliùs evolvetur.

Item 2º ex eo quod Petrus existat Centrum cui omnes adhæreant, sequitur ipsum esse *Caput* cui omnes pareant. Certè enim (uti jam observavimus, p. 104) non possent cum ipso societatem necessariam servare si ipsi aliquid absolutè saltem ac definitivè volenti sese conformare renuerent; — et id quidem sive quoad doctrinam profitendam, sive quoad disciplinam observandam.

Summatim igitur, ex hoc *fundamenti* privilegio, quod Christus Petri proprium fecit, jam sequitur implicite munus *Centri et Capitis* cum omnibus prærogativis quæ inde successivè evolvuntur. Ea quippe inest vel uni è Christi verbis vis ac fœcunditas!

Verumtamen — II — pluribus exinde in locis Christus potestatem Petro concessam explicitè declarabit ac confirmabit. Sic, videlicet :

1º his quibus Petrum constituit Ecclesiae fundamentum, Christus continuò subjungit : *Et tibi dabo claves regni cælorum*. (Quæ clavium traditio, apud Antiquos (1), signum habebatur *essentiale* per quod aliquis constitueretur dominus). « *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* » (Matth., XVI, 19). Quæ certè expriment potestatem obligandi, sub omni respectu, et obligandi omnes, etiam cæteros Apostolos quibus postea similis potestas impertietur (V. suprâ p. 51); siquidem, ut observat Bossuet : « La suite ne renverse pas le commentement, et le premier ne perd pas sa place. Cette première parole : « Tout ce que tu lieras, » dite à un seul, » a déjà rangé sous sa puissance chacun de ceux à qui » on dira : « Tout ce que vous remettrez. » Car les pro-

(1) Cfr Is., XXII, 12; Apoc., III, 7; etc. Cfr Wiseman : *Confér.* cit., p. 918.



» messes de Jésus-Christ, aussi bien que ses dons, sont  
 » sans repentance ; et ce qui est une fois donné indéfini-  
 » ment et universellement, est irrévocable : — outre que  
 » la puissance donnée à plusieurs porte sa restriction  
 » dans son partage, au lieu que la puissance donnée à un  
 » seul, et sur tous et sans exception, emporte la pléni-  
 » tude. » (*Disc. sur l'Unité de l'Eglise.*)

2° *Speciatim* quoad fidem, Christus Petro præcipit *confirmare* fratres suos : « *Simon, Simon, ecce Satanas, ex-*  
 » *petivit vos ut cribraret sicut triticum ; Ego autem rogavi*  
 » *pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conver-*  
 » *sus confirma fratres tuos.* » (Luc., XXII, 32.) — Quod  
 certè ipsos docendi munus importat. — De hoc autem  
 fusiùs infrà in Corollario.

3° Petro generatim confertur jus et officium *pascendi*  
 omnimodè *agnos* et *oves*, id est, omne Christi ovile abs-  
 que exceptione, proindeque ipsos etiam coapostolos (1) ;  
 — et quidem eò expressiùs quòd hæc potestas ipsi con-  
 fertur tanquam diligenti *plùs his* (2). Hic est nempe ille  
 celebris textus quo Petro jamdudum significata atque

(1) Imò multi nec inverisimiliter putant coapostolos expressè designa-  
 tos esse per *oves*. Ita primus (teste Perrone, n. 484) S. Eucherius Lugdun. :  
 « Priùs agnos, deinde oves commisit ei ; quia non solùm pastorem sed  
 » pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et  
 » oves ; pascit filios, pascit et matres, regit et subditos et prælatos. » (*Ser-*  
 » *mo de nat. SS. Apost.*) — Ita et multi exhinc, et notatim Bossuet : « C'est  
 » à Pierre qu'il est ordonné premièrement « d'aimer plus que tous les  
 » Apôtres, » et ensuite « de paître » et gouverner tout, « et les agneaux  
 » et les brebis, » et les petits et les mères, et les pasteurs mêmes : pasteurs  
 » à l'égard des peuples, et brebis à l'égard de Pierre, ils honorent en lui  
 » Jésus-Christ, confessant aussi qu'avec raison on lui demande un plus  
 » grand amour, puisqu'il a plus de dignité avec plus de charge ; et que,  
 » parmi nous, sous la discipline d'un maître tel que le nôtre, il faut, selon  
 » sa parole (Marc., X, 44), que le premier soit, comme lui, par la charité,  
 » le serviteur de tous les autres. » (*Disc. sur l'Un. de l'Egl.*)

(2) Cfr in hoc perpulchras observationes S. Joan. Chrysost. : *De Sacer-*  
*dotio*, l. II sub initio.

promissa potestas tandem, post resurrectionem Christi,  
 propriè confertur :

« *Quum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Si-*  
 » *mon Joannis, diligis Me plùs his ? — Dicit Ei : Etiam,*  
 » *Domine, Tu scis quia amo Te. — Dicit ei : Pasce agnos*  
 » *meos* (βοσκει τα αρνια μου).

» *Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis Me ? — Ait*  
 » *Illi : Etiam, Domine, Tu scis quia amo Te. — Dicit ei :*  
 » *Pasce agnos meos* (ποιμνιζε τα προβατα μου).

» *Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas Me ? — Contris-*  
 » *tatus est Petrus quia dixit ei tertio : Amas Me ? — Et*  
 » *dixit Ei : Domine, Tu omnia nosti : Tu scis quia amo*  
 » *Te. — Dixit Ei : Pasce oves meas.* » (βοσκει τα προβατα  
 μου) (Joan., XXI, 15-17).

Ex iis igitur omnibus iterùm atque iterùm advertere  
 est quòd quidquid Apostolis *collectivè* Christus conferre  
 disposuit, priùs et eminentiùs Petro *singulariter* sumpto  
 spondit. Sic Apostolis quidem dicturus erat : « *Quæ-*  
 » *cumque alligaveritis...* etc. » Petro autem priùs dixe-  
 rat, præmissâ specialissimè promissione *clavium* regni :  
 « *Quodcumque ligaveris...* etc.... — Pro Apostolis in ge-  
 nere rogaturus erat à Patre *Spiritum veritatis* et ipsos  
 missurus erat *docere omnes gentes* : pro Petro autem  
 priùs rogavit *ut non deficiat fides ejus*, et ipsi mandavit  
*confirmare fratres suos*. — Apostoli debebunt *pascere gre-*  
*gem Dei* : Petrus autem priùs audit : *Pasce agnos et oves.*

Unde magis ac magis patet neminem posse munia ac  
 promissa Christi participare nisi Apostolis quidem in ge-  
 nere, uni autem Petro in specie maneat unitus proinde-  
 que subjectus.

Neque certè ab his dissonant ea quæ videre est — III — in  
 Actibus et Epistolis, ubi primatiæ Petri, sicuti jam obser-  
 vavimus, adeò frequens exercitium deprehenditur. Hanc  
 quidem fraternè ac modestè gerit, ut ipse aliis commen-  
 dat (I Petr., V., 2, 3) atque in his certè initiis maximè de-



cebat : missionem communiter deliberatam libenter suscipit (Act., VIII, 14) ; nec suam agendi rationem justificare dedignatur (Act., XI, 2-18) ; imò et ab inferiore justam admittit reprehensionem (Gal., II, 11-14) : *Capitis* vices, magis præsidis et inceptoris more quàm imperantis, inter coapostolos exsequi videtur ; sed tamen adeò *Centrum* ab aliis habetur, ut Paulus divinitus ad Apostolatam vocatus Petrum tamen unum præ cæteris invisendum (ιστορησαι) existimaverit (Gal., I, 18, 19), uti observant SS. Patres (1).

III°. — *Illa Petro collata primatia erat in perpetuum duratura* : — Nempe, « quod in B. Apostolo Petro Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium Dominus » Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id Eodem auctore in Ecclesiâ, » quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque » firma stabit, jugiter durare necesse est. » Ita Concilium Vaticanum (Constit. *De Ecclesiâ*, cap. II), duo, ut videre est, subindicans è quibus illa primatûs perpetuitas probari potest, *rationem* scilicet evidentissimam et ipsas Christi *expressiones*. — 1° Id enim ratio evidentissima demonstrat ; siquidem Ecclesia, ex promissis, est perpetuò duratura : ergo et omnia simul quæ ad necessitates ejus permanentes ordinantur. Atqui talis est certè primatia Petro collata, non secùs ac cæterorum Apostolorum episcopatus ; certum est enim, ut ait Bellarminus (*Controv. de R. Pontif.*, l. II, c. XII, n. 6), Pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Pontificem,

(1) « Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et cæteris illius caput ; ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit. » (S. Chrysost. *Homil. 88 in Joan.*, n. A.) — « Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, quia primus » erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam ecclesiarum, etc. » (S. Ambros. *in Galat.*, l. V. etiam S. Hieronym. : *Ep. ad S. Aug.* — Cfr Bossuet : *Disc. sur l'Un.* ; *Médit.*, 70° j., in fine.

neque nunc illam unius summi pastoris curâ et vigilantia minus opus habere quàm tempore Apostolorum. — Imò sanè non tam Apostoli, tantis gratis aucti ac confirmati, uno immobili Centro et Capite indigebant, quàm ipsorum successores, ubi Ecclesia jam copiosâ numerositate dilatata adeò multiplicibus atque infirmis manibus committitur. — Ergo Primatia Petro collata non tam in ipsum Petri tempus instituebatur quàm in ævum postea Ecclesiæ futurum, id est, in perpetuum. — Et certè 2° ipsæ Christi expressiones id significant. Ad quid enim illa mutatio nominis Simonis in *Petrum*, nisi quia, ex intentione Christi, ut Ecclesia in perpetuum duret, necesse est ipsam fundari super *petram*, id est, super fundamentum ex naturâ suâ perpetuum, ut ipse Jesus alibi dixit de viro sapiente qui ædificat domum (Matth., VII, 24-27 ; Luc., VI, 47-49) ? — « Simon peut mourir ; mais Pierre » ne meurt jamais » (1). — Unde Bossuet : « Qu'on ne » dise point, qu'on ne pense point que ce ministère de » saint Pierre finisse avec lui : ce qui doit servir de sou- » tien à une Eglise éternelle ne peut jamais avoir de fin. » Pierre vivra dans ses successeurs ; Pierre parlera toujours dans sa chaire : c'est ce que disent les Pères ; c'est » ce que confirment six cent trente évêques au Concile de » Chalcedoine. » (*Discours sur l'Unité de l'Eglise.*) Itemque alibi : « En disant à ses Apôtres : *Je suis avec vous jus-* » *qu'à la fin des siècles*, Il montra que la forme qu'il avait » établie parmi eux passerait à la postérité. » (*Médit. sur l'Evangile, la Cène*, 1° p., 72° jour). — Ecclesia in quovis sæculo semper definiri poterit, sicut Corpus apostolicum in Evangelio, « *Petrus et qui cum illo sunt.* »

Hinc et Concilium Vaticanum ita, apud nos, anathemate sanxit : « Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius » Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus

(1) Verba sunt SS. nostri Pii IX, 26 april. 1873.



» Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat  
» perpetuos successores...; anathema sit.»

Ergo è Scripturà sacrà, recto atque obvio sensu acceptà, thesis nostra probatur.

## II.

**38.** — Item è Traditione et totius Christianitatis consensu probatur existere è jure divino unum supremum Pastorem qui sit totius Ecclesiae et Centrum et Caput.

Illud enim dogma ab Apostolis proindeque ab ipso Christo venire constat 1° per Discussionem sive testimoniorum sive factorum à primis Ecclesiae temporibus, 2° per Præscriptionem usque ad ipsa Ecclesiae incunabula ascendentem, 3° demum per consensum totius Christianitatis, certis quibusdam epochis universalem, proindeque Auctoritatis infallibilis in illà certè tunc etiam extantis (n° 25). — Et quidem

1° constat per Discussionem sive testimoniorum sive factorum. — Tota enim Traditio tum primatiam Petri, tum permanentiam hujus primatiae apud successorem Petri, sensu suprà exposito, disertissimè affirmat. Nempe

**Quoad primatiam Petri:** — 1 — Omnes textus evangelicos suprà allatos universa Traditio de Primatiâ, prout exposuimus, Petro collatâ interpretatur (1) (cfr passim, in n. præced, ea quæ è Patribus adnotavimus); — atque — 2 — ipsum consequenter Petrum vocat *Apostolorum caput, principem, verticem, os, coryphæum, universi præsidem, primum mundi præsidem, totius orbis doctorem, etc.*, etc..... Ita SS. Hieronymus, Hilarius, Joan. Chrysost., Greg. Naz., Leo M., etc., (2).

(1) V. Perrone : *De locis theol.* P. I, n. 499 et ss.

(2) Cfr etiam ea quæ in honorem Petri habentur ap. Liturgias schisma-

Quod etiam confirmatur tum — 1 — è signis non obscuris præminentiae atque auctoritatis quibus imago Petri in antiquis monumentis, vel in ipsis catacumbis, decoratur (1); tum — 2 — è festis quibus illius inter Apostolos solius cathedra, i. e. episcopatus et Antiochiæ et Romæ, jam antiquitùs per totam Ecclesiam concelebratur; tum — 3 — è majori præ cæteris honoris ac jurisdictionis gradu quo habitæ sunt sedes directè ab ipso institutæ in duabus maximis, post Romam, Imperii urbibus, Alexandriæ scilicet et Antiochiæ, — et illà quidem expressissimè ratione juxta communem SS. Patrum Traditionem (2).

Item quoad permanentiam primatiae Petri : Siquidem illum quem universa Traditio successorem Petri habet, — Episcopum videlicet Romanum (3), — esse ideò, è jure di-

ticas, speciatim ap. Liturg. russiacam, in quam V. præsertim opusculum P. Tondini : *La Primauté de saint Pierre prouvée par les titres que lui donne l'Eglise Russe dans sa liturgie.*

(1) V. Martigny : *Dictionn. des Antiq. chrét.*, v° Pierre et Paul, S. IV.

(2) V. ap. Thomassin : *Ancienne et nouv. discipline de l'Egl.*, T. 1, p. I, ch. VII-XIV. — Quam traditionem ita resumit S. Gregor. M. (*L. VII, Epist. XL, ad Eulogium ep. Alex.*) : « Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate » convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem in » quâ etiam quiescere et præsentem vitam finire dignatus est (*Romæ*). Ipse » decoravit sedem in quâ Evangelistam discipulum misit (*Alexandria*). » Ipse firmavit sedem in quâ septem annis, quamvis discessurus, sedit (*Antiochiæ*). Cum ergo unius atque una sit sedes, ex auctoritate divinâ, tres » nunc episcopi præsentent, etc..... » — Quippe, uti jam de Antiochiâ speciatim observaverat S. Innocentius Papa I (*Epist. XXIV, 1*), « non tam pro » civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quòd prima primi » Apostoli sedes esse monstretur; » — quia, ut ait S. Leo ambitioni episcoporum Constantinopolitanorum obsistens : « Alia ratio est rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. » (*Epist. CV, 3*).

(3) Et ipsum reverà ita esse, infrà in 2da Tractatùs parte demonstrabitur. Hoc autem unum hic et nunc è Traditione demonstrandum habemus, permanere scilicet primatiam Petri apud illius successorem, quisquis habeatur.



vino, totius Ecclesiae Centrum atque Caput universa etiam proclamant tum *testimoniis*, tum *factis*.

Et quidem I — è *testimoniis Patrum* :

Constat 1° Episcopum Romanum, quatenus Petri successorem, semper è jure divino habitum fuisse totius communionis ecclesiasticae **CENTRUM**.

Jam nempe **S. Ignatius martyr** idipsum innuit : quum enim unamquamque è suis Epistolis inscribat : *Ecclesiae quae est* (τη ωση) *in tali vel tali regione* ...., illam unam quae datur ad Romanos, inscribit : *Ecclesiae quae praesidet* (προκαθηται) *in loco regionis Romanorum*...; et haec ab eo vocatur *προκαθημεν της αγλης*, *praesidens charitatis*, id est, cœtui charitatis. Mox illud apertissimè explicat **S. Irenaeus**, Hic enim *Traditionem veram*, quam contra *Hæreses* invocat, divinitus alligatam credit successioni Episcoporum non modò in totà generatim Ecclesià (V. cit. suprà p. 62) sed speciatim in Ecclesià romanà, utpote necessario aliarum Ecclesiarum centro : « *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesià adest respicere omnibus qui velint vera videre*.... Sed quoniam » *valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ,* » à gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et » *constitutæ Ecclesiae eam quam habet ab Apostolis Traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo... præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (aliàs *potentiorem*) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles* (1), in quâ semper ab his qui sunt undique, conservata » est ea quæ est ab Apostolis Traditio. » Ac deinde, Episcopis romanis duodecim, à Lino per Apostolos ipsos instituto ad Eleutherium contemporaneum suum, nominatim enumeratis, ita concludit : « *Hæc ordinatione et successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesià Traditio et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima*

(1) Meritò dici potuit totam *Bibliothecam maximam Pontificiam* Robaberti (20 vol. in folio) in hæc S. Irenæi phrasi implicitè contineri, et ab eâ logicè, quoad substantiam, fluere.

» hæc ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse quæ in Ecclesià ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate. » (1) — Inde **S. Cyprianus** Ecclesiae unitatem sibi adeò caram repetit : « *Deus unus est et Christus unus, et una Ecclesia et Cathedra una super petram, Domini voce, fundata* (Epist. 40, ad plebem, n. 5)... Atque hæreseon et schismatum causam assignat quòd « *ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis*

(1) Ad enervandum hoc tantæ consequentiæ testimonium, nihil intentum reliquerunt tum Protestantes, Salmasius, Grabbius, Neander (in quos V. DD. Freppel : *Saint Irénée*, leç. xx), tum Febronius (*Defensio*. T. III. tit. II § 6, p. 47) et, post eum, de more, recentes *Janistæ*. Dixerat nempe 1° Salmasius Ecclesiam romanam proponi tanquam veræ fidei criterium *de facto*, non *de jure*. Verùm ut quid tunc hoc motivum : ... *propter potiorem principalitatem*....? — Subdiderunt igitur 2° Grabbius, Febronius, Neander hic agi de principalitate non *ecclesiasticâ* sed *civili*, nec de debità *consensione ac communionem* Fidelium cum Ecclesià romanà, sed de *concurso* inevitabili eorum ad Romam propter varia negotia unde contingit (quod avidè arripiunt *Janistæ*) Traditionem apostolicam conservari non tam in *Fidelibus per auctoritatem Ecclesiae romanæ* quam in *Ecclesià romanà per vigilantiam Fidelium* undequaque venientium. — Verùm ad istas cavillationes, vel primo intuitu sensui obvio repugnantes, opponimus 1° vim verborum; utquid enim *ad hanc Ecclesiam*...., non potius *ad hanc Urbem*...? utquid *omnem Ecclesiam*.... *necesse est*... *Fideles*...? — Opponimus 2° analogiam locutionum cum locutionibus quarum apud Auctores ecclesiasticos sensus patet; sic, v. g., quoad *principalitatem*..., cfr S. Cyprian. infrà cit.... *ad Ecclesiam principalem*...; et S. August. item cit.... *apostolicæ cathedræ principatus*.... etc.; — quoad *in quo conservata est ab his*..., cfr S. Paulum passim, Eph. I, II, Col. I etc.... *in Christo... in quo... in ipso*..., id est, *per Christum... per quem... per ipsum*...; cfr præsertim S. Optat. infrà cit.... *in quâ undâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur*...; quod omninò identicum est. — Opponimus 3° clarissimam totius textûs, apud S. Irenæum, concatenationem, et seriem Pontificum romanorum tanquam in probationem necessariam adductam : utquid enim necessaria foret si non è successione Pontificum romanorum sed è concursu Fidelium extraneorum veritas in Ecclesià romanà servata fuisset?... — Opponimus tandem 4° conformitatem hujus testimonii perfectam cum omnibus cæteris Patrum testimoniis exinde allegandis. — Cfr Massuet, doctiss. S. Irenæi editorem : *Dissert. prævia* III, art. IV; et V. eruditum R. P. Schneeman opusculum : *S. Irenæi de Eccl. Rom. principatu testimonium* (Friburgi, 1870).